

### Species incertae sedis.

**O. helicanthum** Kränzl. n. sp. — Pseudobulbi, folia, inflorescentia integra non praestant, vidi solummodo ramos 2 sex vel septem cm longos a media parte floriferos, satis densifloros, bracteae breves ovatae, acutae, vix 2 mm longae, pedicelli cum ovarii 8 mm longi, tenues, saepius curvuli. Sepalum dorsale cucullatum, obovatum, apice rotundatum, sepala lateralia libera, obovata, acuta, 6 ad 7 mm longa, 3,5 mm lata. Petala subsimilia, late obovata, quam sepala paulo latiora, rotundato-retusa, aequilonga, 7 mm lata, haec omnia undulata, crispula. Labelli lobi laterales angusti, lineares, obtusi, 3 mm longi, vix 1 mm lati, isthmus lobi intermedii linearis, lamina transverse elliptica, antice vix sinuata, margine undulata, crista labelli lamellis 3 brevibus, parallelis composita, quarum intermedia longior et magis protensa quam laterales, totum labellum cum ungue 7 mm longum, 8 mm latum. Gynostemium breve, crassum, leviter proclive, alae carnosae, oblongae, obtusae, androclinium postice in apicem triangulum productum. De colore nil constat, labellum siccum pallidius quam cetera phylla. — Fig. 24 C: a—d.

Subäquatoriale andine Provinz. Columbian (Sammler unbekannt).

Nota. Species primo aspectu *O. carthaginense* Swartz in memoriam revocat, flores tamen magnitudine adeo reducti sunt quales nunquam in illa specie observabis. Differt ceterum planta nostra characteribus plurimis, ut nil remaneat nisi similitudo vaga. Cum pseudobulbi et folia desint nil certius de loco in systemate proferre audeo, suspicor tamen *Aphanobulbis Miltoniastris* esse adscribendum. Flores iconis nostrae vi expansi delineati sunt.




Fig. 24. A: a—f *Oncidium drepanopterum* Kränzl.\* a flos  $\frac{2}{1}$ , b et c gynostemium c. bâsi labelli, d et e anthera, f pollinium. — B: a *O. trinasutum* Kränzl. a flos. — C: a—d *O. helicanthum* Kränzl. a flos vi expansus. b gynostemium c. basi labelli a latere visum, c id. a fronte visum, d pollinium. — D: a—f *O. lintriculus* Kränzl. a flos  $\frac{2}{1}$ , b gynostemium a fronte, c id. a latere visum, d id. cum crista labelli, e anthera, f pollinium.